Quelle: https://manuscripta.at/?ID=388
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

moysen populo israel dedit. ceteris autem gentibus non dedit. sine lege dixit esse ceteras gentes. quod
intellecturi sumus in isto psalmo dictum esse. praevaricantes estimavi omnes peccatores
terrae. non intelligamus aliquam legem non per moysen datam. secundum quam sunt praevaricantes ceterarum
gentium peccatores. Ubi enim non est lex. nec praevaricatio. Quae ista lex est. nisi forte illa de
qua idem dicit apostolus cum gentes legem non habentes naturaliter quae legis sunt faciunt. Hi legem non ha
bentes. ipsi sibi sunt lex. Secundum hoc ergo quod dicit legem non habentes. sine lege peccaverunt.
sine lege peribunt. secundum vero id quod ait ipsi sibi sunt lex. non immerito praevaricatores estimantur om
nes peccatores terrae. Nullus enim est qui faciat alteri iniuriam. nisi qui fieri nolit sibi. Et in hoc v id.
transgreditur naturalem legem. quam non sinitur ignorare. dum id quod facit non vult pati. Numquid
autem lex ista naturalis non erat in populo israel. Erat plane. quoniam et ipsi homines erant. Sine
lege autem naturali essent. si praeter naturam humani generis esse potuissent. Multo magis ergo
praevaricatores facti sunt lege divina. qua naturalis illa sive instaurata. sive aucta. sive fir
mata est. Iam vero si in omnibus peccatoribus terrae non incongrue deputantur et parvuli propter
originalis vinculum peccati et ipsi in similitudinem praevaricationis ade. ad illam praevari
cationem pertinere monstrantur. quae data lege in paradiso primo commissa est. Ac per hoc rec
te nullo prorsus excepto. praevaricatores estimantur omnes peccatores. Omnes autem pecca
verunt et egent gloria dei. Omnes ergo praevaricantes gratia salvatoris invenit. alios magis.
alios minus. Quanto enim legis maior in quocumque cognitio. tanto minor peccati ex
cusatio. Quanto minor peccati excusatio. tanto manifestior praevaricatio.
Restabat ergo ut hominibus non sua sed dei id est a deo donata iusticia subveniret. Unde
ait apostolus. Per legem cognitio peccati. Non ergo ablatio. sed cognitio. Nunc autem sine le
ge inquit iusticia dei manifestata est. testificata per legem et prophetas. Unde et iste sub
iunxit. Propterea inquit dilexi testimonia tua. Tamquam diceret. Quoniam lex sive
in paradyso data. sive naturaliter insita. sive in litteris promulgata praevaricatores fecit
omnes peccatores terrae. propterea dilexi testimonia tua. quae sunt in lege tua de gratia tua. ut non sit in
me iusticia mea sed tua. Lex enim ad hoc prodest. ut mittat ad gratiam. Non solum
enim quod attestatur manifestande iusticie dei quae sine lege est. verum et hoc ipso quod praeva
ricantes fecit. ita ut et littera occidat. ad vivificantem spiritum confugere timore com
pellit. per quem peccatorum deleatur universitas. et recte factorum caritas inspiretur. Prop
terea inquit dilexi testimonia tua. Quidam codices habent semper. quidam non habent. Sed si est.
sic accipiendum est semper. ut sic intelligatur. quamdiu hic vivitur. Hic sunt enim testimonia
necessaria de lege et prophetis. attestantia iusticie dei qua iustificamur gratis. hic sunt et nostra
testimonia necessaria pro quibus ipsam quae hic agitur vitam martyres finierunt. Cognita itaque
dei gratia quae sola liberat a praevaricatione quae legis cognitione committitur. orando dicit.
Confige clavis a timore tuo carnes meas. Sic enim expressius interpretati sunt quidam nostri quod grece
uno verbo dici potuit. id est catholoson. Hoc alii confige dicere voluerunt. nec addi